INDEX
LECTIONVM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXXVIII/IX

AB DIE XVI M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM

INTERPRETATIONUM HEXADA

FRIDERICUS MARX

PRAEMISIT

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS

1888/89

Penes Ianum sunt prima. Quam sententiam Varronis (apud Augustin. de ciu. d. VII 9) secutus, commilitones humanissimi, in principio huius libelli quaestionem de Iani dei natura saepenumero propositam soluere conabor sed ita ut hanc potissimum rem suscipiam explicandam quonam iure priscum illud Italorum numen inde ab Aboriginum Faunorumque aetate artifices bicipiti in templis et delubris effinxerint imagine. Atque nolite putare homines per mille annos eos quos nos nostris lucubrationibus perlustrare solemus cum deum ture uino libo farre piarent recte intellexisse etiamtunc eam quam prisci illi significare uoluerunt dei naturam ancipiti signo: etenim uanae coniecturae sunt quae Varro l. s. quae Ouidius fast. I 103 seqq. postremo quae Procop. de bello Goth. I 25 de Iano gemino exposuerunt. Quos secuti cum uiri docti Iani caput duplex ita interpretentur, ut quasi Solem utrumque τὸν ἀνίσχοντα atque τὸν δύοντα ita significari Ianumque Solis et orientis et occidentis quasi ianitorem esse coniciant ueluti Preller eiusque διασκευαστής mythol. Rom. p. 168, tota uia errarunt me iudice simplicemque imaginis explicationem aspernati in grammaticorum gyros deducti sunt inexplicabiles. Nimirum illud quod Procopius alii de Iano referunt quod τοῦ προσώπου θάτερον μὲν πρὸς ἀνίσχοντα τὸ δὲ ἕτερον πρὼς δύοντα ἥλιον τέτραπται, id omnium deorum omniumque fanorum commune esse facile apparet: quod de Iano utriusque Solis ianitore suspicati sunt, ideo stare nequit, quod dei non solum bifrontis sed etiam quadrifrontis exstabat imago: de cuius imaginis significatione inepte hariolantur Macrobii (I 9) Seruiique (ad Verg. Aen. VII 607) auctores de quattuor climatis quattuorue caeli regionibus somniantes.

Quid igitur cogitauit ille quisquis fuit artifex qui primus deum ita πολυπρόσωπον fingere est ausus? Religiones populorum quas ne posteri quidem illorum qui eas constituerunt recte uidentur intellexisse ad certas quasdam causas et origines redigere audax sane est et plenum opus aleae: tamen si non aleatorum aut coniectorum modo casum sequemur ducem sed uia et ratione progrediemur in disputando dubito an propius accedamus ad ueritatem. Priscorum populorum numina secundum ipsorum opiniones ab hominibus multum diuersa non fuere: et laetabantur di et dolebant, ducebant nubebant edebant potabant similes mortalium neque dubitaveris si in fictilibus quibusdam quae fictilia omnia fere in eandem comparata esse apparent figuram eisdemque picturis ornata legeris *Aecetiai Coirai Lauernai Meneruai pocolom* quin his uasculis in lectisterniis di ipsi si dis placet usi sint ad potandum: fictilia enim apponebantur dis immortalibus in conuiuio neque auri argentiue luxuriam probauit Iuppiter optimus maximus aegre illud ferens quod non iam *idem epulo cibus atque epulae Iouis omnipotentis*

(Lucil. lib. XIII). [1]) Itaque immortales mortalium similes fingebant antiqui et si qua re diuersos faciebant artifices deos ab hominibus ea sane potentiam eorum et uirtutem qua mortales antecedebant exprimere conabantur neque quasi philosophorum ratione id fecisse arbitrandi sunt prisci illi fictores exquisite aut erudite sed quo pacto talia homines rudes fingere solent et infantes modo simplici ne dicam puerili. Qualem vero deum imagine exprimere debebant? Quam potentiam aut quam uirtutem eius quae hominis figura immutata significari non potuerit? Siue caeli siue solis siue lucis numen, quod mirabantur mortales uarias luminum caelestium uices contemplantes, alii aliis et nominibus nuncupabant et simulacris exprimebant: et Iovem patrem et Ianum et Solem et Apollinem indigitabant deum quem religiose suspiciebant χρυσέας illud ἁμέρας βλέφαρον mirantes, deum illum ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Hoc enim potissimum terrore et admiratione homines adfecit quod omnia perlustrare uidebant oculum illum diuinum radiis suis, quod *ubique caelus medius est* neque dubito quin τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου (Aeschyl. Prom. 91) Ioui Cyclopi Argiui in fronte posuerint, quisquis composuit illud quod Pausanias II 24, 5 explicare studet ξόανον δύο μὲν ᾗ πεφύκαμεν ἔχον ὀφθαλμούς, τρίτον δὲ ἐπὶ τοῦ μετώπου. Eandem uirtutem omnia uidendi mortalium saeclis negatam more illo rudi hominum priscorum in Iani simulacro duabus uel quattuor frontibus insigni significauerunt: nimirum est deus ille ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει (λ 109), quem nulla a tergo ciconia pinsit (Pers. I 58), qui solus Carnam quae omnes antea procos in latebris abdita effugerat fertur indagauisse (Ouid. fast. VI 101).

Solebant igitur omnia uidendi diuinam illam uirtutem hoc modo in deorum simulacris ostendere adorantibus Romanorum fictores neque Graecorum Hermae bicipites uirorum illustrium paria quasi uno capite comprehendentes illorum ingenia incitauisse putandae sunt, quas in dei summi simulacro faciendo imitarentur, sed antiquitus traditam a maioribus Iani figuram acceperunt illo tempore excogitatam, quo Itali et Graeci etiamtunc una deorum numina colebant barbarorum similiores. Etenim barbari turpia eiusmodi idola multis capitibus praedita magnopere in deliciis habebant apud antiquos et hodie in deliciis habent: unum modo adferam exemplum, quo recte Iani quadrifrontis imaginem intellegatis, quod facile plurima ex hodoeporicis physicorum colligere quilibet poterit. Saxo Grammaticus in hist. Dan. libro XIV p. 499 edit. Klotz. de Suantouiti Rugianorum dei simulacro Arconensi memoriae haec prodidit: *Ingens in aede simulacrum omnem humani corporis habitum granditate transscendens, quattuor capitibus totidemque ceruicibus mirandum perstabat e quibus duo pectus totidemque tergum respicere uidebantur, ceterum tam ante quam retro collocatorum unum dextrorsum alterum laeuorsum contemplationem derigere uidebatur.* Capitum uero numerus nihil ad rem, modo uno plures sint neque in Suantouito quadrifronti maior fuit diuinitas quam in Trigla tricipiti.

Etiam apud Graecorum populos fuit tempus cum Ζεὺς ille siue Ἀπόλλων πανόπτης bicipiti Iani imagine exprimi solebat: tamen quandoquidem apud antiquos etiam di immortales Fatis obnoxii fuere modo anxie in delubris uenerati modo ita obliuione obruti ut sacram historiam eorum uix agnoscere liceat in fabulis uatum ipse ille Ζεὺς πανόπτης bicipiti imagine formatus propter simulacri barbaram figuram sensim repudiabatur a Graecis: qui cum de Argo Panopte centum oculis terribili fabulas a uatibus decantatas audierant, deum supremum caeli in herois formam redactum ita circumferri non iam suspicabantur. Tamen nos facile

[1]) Plerosque scio dona dis oblata illa pocula esse arbitrari: quod uerum non esse eo efficitur, quod neque nomen dedicantis in ullo poculo inuenitur inscriptum, neque dedicantium uasa ad eandem omnia formam fieri necesse erat apud antiquos neque eodem modo uerisimile est inueniri uasa in Aecitiae Coirae Lauernae fanis quae fuerint quomodo facile si quae reperiuntur coniciat aliquis ea donaria fuisse Iunonis aut Mineruae sacra.

etiamnunc in custode illo Ius centoculo deum caeli supremum agnoscimus ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει qui quondam Ζεὺς πανόπτης audiebat: forma uero eadem fingi solebat qua Ianus bifrons, ueluti in uasculo in bullet. Neapol. 1845 III tab. IV delineato et in fragmento Aegimii in schol. Eurip. Phoen. 1116 Argum Iouis filium τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα effingi et uidemus et audimus. Heram Argo unum oculum in occipitio posuisse tradit Pherecydes in schol. Eurip. l. s.: quem oculum Ioui illi apud Argiuos in fronte locarunt. Sed talia simulacra barbarorum modo confecta aspernati sunt Graeci quasi prodigia et portenta, seruauit tenax uetustatis religio populi Romani, quamquam et apud Italos Diana Ianum patrem indigenam sed prodigiosa forma praeditum aspernata Apollinem Graecum fratris loco habere maluit.

Sicuti apud Romanos et Ianus et Diana, ita apud Graecos non solum Ἕκατος ille lucis deus colebatur qui quocumque uult radios suos certo cursu emitteret sed etiam Ἑκάτη femina. Si ea quae de Iani figura modo exposui quam simpliciter explicari dixi oportere repudiatis philosophorum rationibus captiosis accurate consideraueris, iam intelleges in Hecates simulacris nobis seruari antiquissimam numinis illius figuram, qua omnia ubique quae fiant et agantur a numine illo siue deo siue dea cerni posse suo modo significabant. De Hecates natura quam quasi alteram Artemin aut Selenen esse apparet satis illi dixerunt qui de hac dea egerunt: iuuat tamen conferre, quomodo et Hecate ianitrix et Ianus ille ianitor quasi Ἀπόλλων θυραῖος hoc ipso officio suam prae se ferant affinitatem: etenim et Romae Ianus ianuas et *limina seruabat* (Ouid. fast. I 173) et Athenis Ἑκάτεια πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν collocata erant secundum Aristoph. Vesp. 804 nec non in aditu arcis Ἑκάτη illa προπυλαία (Hesych. s. u. προπυλαία) siue ἐπιπυργιδία. Qualis simulacrum illorum forma fuerit quae ad ianuas posita erant nescimus: πολυπρόσωπος sane Hecate illa fuisse putanda est quae in aditu domus poni solebat sicut Ianus geminus: neque alia figura deam induit Alcamenes qui primus Hecates signum ita finxisse traditur artifex (apud Paus. II 30, 2) populi religionem secutus, cum Myro ὁμοίως ἓν πρόσωπόν τε καὶ τὸ λοιπὸν σῶμα Hecates apud Aeginetas effinxerit, siue quod barbaram illam et portentosam formam deae indigne ferebat siue quod deam illam πολυπρόσωπον Atticorum Aeginetae non colebant. Sensim enim Hecate propter idoli barbariem in contemptum ueniebat factaque est dea muliercularum infimaeque plebis neque in ordinem XII deorum recepta et ab Apolline spreta, qui Artemin sibi sociauerit, sicut apud Romanos Diana Iano posthabito Apollinem. Animaduertas denique uelim quod apud Romanos Macrobio auctore I 9, 7 Ianus ille tanquam Ἀπόλλων ἀγυιεύς *cum claui et uirga figuratur. quasi omnium et portarum custos et rector uiarum* et in compitis collocabatur: neque aliter apud Graecos Hecate illa ἐνοδία sive Triuia; quam quod tribus potissimum faciebus insignem finxerunt antiqui [1]), non tanti faciendum esse duco quanti quod omnino pluribus. Videlicet uidere utroque uersus et poterat et debebat Ianus deus: quare ἐφ' ἑκατέρῳ προσώπῳ dei bifrontis fores aheneae fuere (Procop. de bell. Goth. I 25) duae, aut quattuor Iano quadrifronti (Seru. ad Aen. VII 607): quae ideo belli tempore patebant, *ut eiusdem conspectus per bellum pateret.* sicuti Seruius ad Aen. I 294 recte coniecit.

Itaque fuit tempus cum et Graecorum et Italorum populi barbarorum ritu deorum figuras et bicipites et tricipites et quadrifrontes fingebant, quo numinis illam diuinam cuncta uidendi potentiam suo modo significarent: postea uero portenta illa quo similiores hominum

---

[1]) Laborasse multum artifices in deae tricipitis simulacris fingendis ex eis quae etiamnunc exstant figuris apparet ueluti ex anaglypho illo arae maximae Pergamenorum: bicipitem illam deam quae in Rheginorum nummis conspicitur Hecaten esse inde coniciat aliquis, quod et modius capitibus impositus et capilli cultus deae illius proprius esse uidetur.

deos pro pulchritudinis quasi legibus et regula humanitatis fingere solebant artifices, prorsus aspernabantur, ita ut pauca usus illius etiamnunc exstent uestigia. Veluti Aquilonis dei naturam, quem omnino neque fugere neque latere potuerit Orithyia ita significauit figulus in uasculo annalium instituti Romani 1860 tab. LM ut duplici facie deum delinearet praeditum: de Bacchi uero aliorum Hermis bicipitibus et de Rheginorum quae in nummis conspicitur dea bicipiti (Mionnet description. I p. 349) difficile erit iudicium, quia et aeui recentioris illae sunt omnes neque ex religione profectae ad deorum uenerationem et cultum pertinuisse, sed ueluti lusus causa ex artificum libidine composita ornamentorum loco fuisse uidentur.

II. Sophocles Antigonae u. 139 ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα στυφελίζων μέγας Ἄρης δεξιόσειρος miro profecto et obscuro cognomine Martem nuncupauit, uetustissimum illum Thebanorum deum quem παλαίχθονα apud Aeschylum mulieres Thebanorum appellant Sept. 102. Nam quem interpretes quo δεξιόσειρος uocabulum explicent adferunt uersum Aeschyli Agam. 806 μόνος δ' Ὀδυσσεὺς ὅσπερ οὐχ ἑκὼν ἔπλει ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος, eo ideo nihil efficitur ad Sophoclis locum recte intellegendum, quod Martem Thebanorum potissimum σειραφόρον et σύμμαχον fuisse minime uerbis illis chori significatur: simpliciter enim Deus uocatur ecus funalium dexterior. Quod uetustissimae religionis uestigium quod genus et u. 1144 Antigonae exstat conturbare nolite interpretationibus artificiosis neque idoneis: hoc potissimum quaerendum est num rite uocari potuerit ἱππικώτατος ille deus et χαλκάρματος πόσις Ἀφροδίτας (conf. schol. Pind. Pyth. IV 87) δεξιόσειρος, sicut Apollinis instar fuit λύκος Dianae lupa Bacchi αἴξ siue τράγος Neptuni ταῦρος id genus alia: nota omnibus opinor cantilena illa est mulierum Elearum, qua Liberum inuocabant ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε Ἀλείων ἐς ναὸν ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσι ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων, ἄξιε ταῦρε ἄξιε ταῦρε (Plut. quaest. Graec. 36) neque mirabimur etiamsi pauca admodum de Martis cultu et religionibus apud Graecos tradita sunt, deo bellatori sacrum fuisse ecum bellatorem qui essedis secundum morem uetustissimum pugnandi iungebatur neque absonum erit sub nomine πώλου Θρηΐκίης intellegi deum Thracium, cuius χρύσεοι ἵπποι et in Hesiodi carminibus incluti fuerint (Scut. Herc. 192) et in Homeri (E 363 O 119). Iungebantur uero quadrigae ita ut duo equi iugo pressi capitibus introuersum contortis tolutim irent, duo exteriores habenis ducerentur uersis in exteriorem partem capitibus et iugo liberi quadrupedo cursu cum frena admissa erant et quadrupedante sonitu ut Vergilii uerbis utar euagarentur: illi uocabantur iugales aut ζύγιοι, hi funales aut σειραῖοι, e quibus tamen non dexter sed sinister ecus nobilior fuit. Penes sinistrum nimirum equorum funalium uictoria quadrigae stabat, penes sinistrum ecum bigae, qui solus in fastis circensibus uictor nominari solitus sit: qua de re conf. Friedlaenderi historia morum p. R. II 296 Marquardti Mommsenique manualium VI 523, 6 Sil. Ital. XVI 360 Hom. Ψ 338 Soph. El. 722. Errant igitur, qui Martem δεξιόσειρον appellari ideo arbitrentur, quod ecus dexterior omnium nobilissimus fuerit et uictoriosus: immo sinister fuit ille νικηφόρος, quod a sinistra currus summo cum uitae et uictoriae discrimine ad metae pericula flectebantur. Neque ego quidem illud δεξιόσειρος ad quadrigas potius et ad circum pertinere arbitratus sim quam ad bigas et ad essedam, qua stantes et homines et deus ipse Gradiuus pugnabant: neque enim de ludis agitur sed de bello et de Marte omnibus aequo. Etiamsi proprie in quadrigis non omnes, sed duo exteriores tantum equi appellantur σειραῖοι (Eurip. Iphig. Aul. 221), tamen et σειραίους fuisse omnes, quod quattuor omnes regebantur funibus ab auriga, et duo tantum medios sub iugo fuisse patet neque illud δεξιόσειρος putauerim esse diversum a verbo δεξιόζυξ, quoniam Eurip. Orest. 1017 Pylades appellatur Orestis παράσειρος quod idem illo loco esse apparet

atque ὁμόζυξ [1]) et Aeschyl. Agam. 806 ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος (conf. 1611 K) una memoratur et iugi et funis communio. Itaque δεξιόσειρον cum Sophocles Martem dixerit, nonnisi ecum dexteriorem deum appellauit neque rerum circensium gnarus equi praestantiam significauit, sed religionem quandam ni fallor uetustissimam testatus est, qua imbuti dexteriora potiora esse sinisterioribus ducebant: quae de tonitruum auium pedum dexteriorum faustis ominibus apud ueteres scriptores tradita sunt ea omnibus nota esse opinor. Eadem religione ducti et in curribus ecum dexteriorem maiore honore adfecisse uidentur ueteres sicuti eorum quos honorifice deducebant latus sinistrum tegebant, ut dexteriores illi ambularent: nam *Actiaco triumpho* Tiberius *currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo cum Marcellus Octauiae filius dexteriore ueheretur* (Sueton. Tib. 6). Quod modo exposui de capitibus iugalium conuersis funalium diuersis ex artis monumentis satis omnibus notum, iam obseruasse puto uiros doctos non eo quo solent ordine equos quadrigae illius celeberrimae in ecclesia Sancti Marci apud Venetos esse collocatos. Itaque non ecum Sophocles Gradiuum patrem appellauit sed ecum praeclarum, ecum nobilem immo nobilissimum omnium, sicuti mulieres illae apud Eleos Bacchum non taurum sed taurum dignum indigitabant. Constat uero ipsa illa animalia quae deorum dearumue sacra erant sacrificio solita esse offerri immortalibus: et uocabatur Liber pater ἄξιε ταῦρε apud Eleos et laudantur a populo Atheniensium ephebi in plebisscito CIA II 471, 13 ὅτι . . . ἔπεμψαν τοῖς Διονυσίοις ταῦρον ἄξιον τοῦ θεοῦ ὃν καὶ ἔθυσαν ἐν τῷ ἱερῷ τῇ πομπῇ. Equos in Graecorum sacrificiis Marti oblatos esse, quod sollemne erat apud Romanos sacrificium (conf. Paulus Festi p. 81) nunc testimoniis ueterum prolatis probare nequeo: tamen quo rectius illam δεξιόσειρος uocem intellegas, illud consideres uelim quod Varro apud Festum p. 178 et apud Plutarchum Quaest. Rom. 97 quaesiuit: διὰ τί τοῖς ['Οκτω]βρίαις εἰδοῖς ἱπποδρομίας γενομένης ὁ νικήσας δέξιος ἱερὸς [2]) Ἄρει θύεται καὶ τὴν μὲν οὐρὰν ἀποκόψας τις ἐπὶ τὴν 'Ρήγειναν καλουμένην κομίζει καὶ τὸν βωμὸν αἱμάσσει, περὶ δὲ τῆς κεφαλῆς οἱ μὲν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ λεγομένης, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Σιβούρης καταβάντες διαμάχονται; Vnde apparet Martis δεξιοσείρου religionem uetustissimam fuisse et apud Graecos et apud Italos neque causas nos religionis istius illa qua Varro fecit ratione quaeremus contenti religionis ipsius cognitione et ratione recuperata.

III. Tarquinio Superbo regnante cum in Capitolio ad templi Iouis fundamenta iacienda solum effoderetur, mirum factum esse prodigium in annalibus populi Romani traditum fuit: inuentum esse caput humanum summa cum Romanorum Tuscorumque et admiratione et horrore. Quod caput alii perhibent fuisse litteris Tuscis conscriptum, alii sanguine offusum et cruore maculatum, sunt denique qui facie integra illud apparuisse tradant: conf. Liu. I 55, 5 Dionys. antiq. Rom. IV 59 (Dio. Cass. fragm. 11, 8) Isidor. orig. XV 2, 31: unde apparet antiquitus nihil traditum fuisse nisi caput inuentum esse cum ad templi substructiones faciendas terram effoderent, summa cum Tuscorum inuidia (Plin. XXVIII 15) qui populo Romano praeclarum id fortunatumque esse intellegerent. Quod de capite illo annales uetustissimae memoriae tradiderunt, id aperte non est λόγος sed μῦθος: etenim sicut apud omnes gentes ita apud Romanos facta maiorum initio fabulis posteris tradebantur, postea historiis uerisque rerum gestarum narrationibus. Quam fabulam quonam pacto interpretari et intellegere

---

[1]) συνεζευγμένος schol. Comparatio inepta nisi de biga cogitat poeta. Quod nos dicimus Zugstrang, eius rei ne uocabulum quidem fuit apud antiquos. Poll. I 141 οἱ μὲν ὑπὸ τῷ ζυγῷ ζύγιοι, οἱ δὲ ἑκατέρωθεν . . . σειραῖοι καὶ αἱ τούτων ἡνίαι σειραὶ καὶ παρηορίαι. Dionys. Halic. ant. Rom. VII 73 σειραῖος ἵππος ῥυτῆρσι συνεχόμενος (Apollon. Rhod. III 1237). Conf. σειραγωγός.

[2]) Recte tradita temptare noli: nimirum e uoce antecedenti ἱπποδρομίας illud ἵππος quod desideratur facile suppleas. *Bigarum uictricium dexterior* Festus l. s.

debeamus, operae pretium erit quaerere fabulis similibus collatis, in quibus antiqui sermone poetico et mythico res gestas occulebant et celabant potius quam declarabant et euoluebant. Cave credas fabulam illam ad nominis Capitolii explicationem esse temere fictam (Varro de l. Lat. V 41). Quod quominus statuamus eo prohibemur quod uox illa minime egebat eiusmodi artificiosa interpretatione neque fabula illa uiri docti cuiusdam lucernam redolet sed uetustam quandam et reconditam prae se fert religionem. Quam cum audimus cum Tagetis Etruscorum qui Tarquiniis quondam traditur exaratus esse (conf. Censorin. IV 13 alii) uenit in mentem tum fabulae illius quam de Carthaginis primordiis Vergilius Aen. I 441 Iustin. XVIII 5, 15 Seruius ad Aen. l. s. alii memoriae tradiderunt, cuius significationem etiamnunc haud difficile perspici posse arbitror: *Lucus* inquit Vergilius *in urbe fuit media, laetissimus umbrae Quo primum iactati undis et turbine Poeni Effodere loco signum, quod regia Iuno Monstrarat caput acris equi; sic nam fore bello Egregiam et facilem uictu per saecula gentem.* Historiam quam tangit poeta, Seruius seruauit, qui haec tradat: *Dido cum transiret per quandam insulam Iunonis, illic accepit oraculum et sacerdotem eius secum abstulit, cum ei parum crederet promittenti Carthaginis sedes. Quo cum uenissent, sacerdos elegit locum faciendae urbis, quo effosso inuentum est caput bouis: quod cum displicuisset quia bos semper subiugatus est, alio loco effosso caput equi inuentum placuit* e. q. s. Quod prodigium in nummis Carthageniensium celebratur, ubi conspicitur aut equi caput aut ecus totus palmae arbori adstans, quae lucum illum significet: conf. L. Mueller numismatica Africae antiquae II p. 74. Itaque fama erat apud Poenos, ex oraculi responso eo loco urbem a regina esse conditam, quo equi capite effosso postea luci et arborum amoenitate fruebantur: alii de capitis bubuli inuentione tradiderant, quod cum illa quam Vergilius exhibet fabula ita posteri sociarunt, ut ea in nouam illam fabulae formam constituerentur qualis et apud Seruium et apud Iustinum de utriusque capitis inuentione tradita est. Neque quidquam refert opinor humanumne an taurinum an equinum an serpentis an Satyri (conf. Gerhardi Etr. sp. CCCV) illud caput fuerit, modo de capite effosso constet. Quodsi accurate reputaueris facile fabulae istius quam mythico sermone comprehensam tradiderunt scriptores significationem erues. Quid quaeso oraculum respondere debebat illis, qui sub sole feruido in Africae arenis urbem condituri erant, quo effosso uerbis fundamenta ponerent? Cur denique lucus illo potissimum loco quo caput equinum effodere postea effloruit? Intelleges profecto, si animum attenderis quae uis subsit uerbis et caput et ecus et taurus, intelleges prorupisse fodientibus ecum illum fontinalem, Πήγασον Corinthiorum neque quidquam fuisse praestantius condituris urbem quam aquae facultatem neque lucum illum quem Vergilius memorat procul aqua et fonte fuisse, sicut in nummis equo palmam uidemus consociatam.

Tritum uero et usitatum fuit apud populos antiquos apud Hebraeos Germanos Persas Graecos Romanos, ut fontem e terra prosilientem fluuiique principium capiti conferrent: uerbum enim uerbo reddidit Hieronymus cum Gen. II 10 uerteret: *Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandum paradisum qui inde diuiditur in quattuor capita* et Herodotus IV 91 Darei regis uerba accurate ni fallor interpretatus est cum scriberet Τεάρου ποταμοῦ κεφαλαί κτλ. et in epigrammate legimus CIG 457 Ἑρμῆν Ναιάδων συνοπάονα θῆκέ με τῇδε Ἐσθλὸς ἀνὴρ κρήνης κρατὸς ἐπ' ἀενάου: apud Romanos denique usus istius innumerabilia exstant exempla et apud poetas et apud scriptores pedestres (conf. Otto Iahn. dissert. soc. reg. Saxon. 1851 p. 143. 144): ueluti Palladius mense August. cap. VIII 7 haec quasi Tuscus aquilex praecipit: *His itaque repertis, certa signorum firmante notitia, puteum fodies et aquae caput requires: uel si plura sunt, in unum colliges.* Eandem religionem apud Germanos fuisse uocabula peruetusta *kaltenbahhes houbit horiginpahes houpit brunhoubit* testantur; conf.

E. Foerstemann die deutschen Ortsnamen Nordhausen 1863 p. 36 et cum Genesis illo loco quod hodie dicitur *Danziger Haupt* Vistulae bifurcum. Et in gemmis et in anaglyphis et fluuius et fons e terra prorumpens capite significatur: uide praeter eas quas Otto Iahn l. s. tab. III. IV delineandas curauit gemmarum effigies fluuii illius caput taurino uultu praeditum, quod in anaglyphis Mercurium Panem Nymphas exhibentibus conspicitur (annal. instit. Rom. 1863 tab. L).

Etiamsi uereor ne quis me ualde audaculum dicat et hariolum, tamen eadem ratione illud prodigium capitis in fundamentis templi Iovis Capitolini iaciendis inuenti explicandum et intellegendum esse ego quidem statuerim. Nolite mirari quod tanto horrore tantaque admiratione et religione homines lympham e terra prorumpentem tunc temporis exceperint: merito enim poetae ueteres aquam optimum omnium dixerunt et arx et Romae et Athenis stabat in obsessionibus, dum aqua suppeditabat: qua deficiente periere obsessi (Appian. bell. ciu. I 32 Plut. Sull. 14). Accedit quod aquas ex solo prorumpentes religiose uenerabantur Romani: conf. Senec. epist. 41, 3: *Magnorum fluminum capita ueneramur. Subita ex abdito uasti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes et stagna quaedam uel opacitas uel immensa altitudo sacrauit* e. q. s.

Reliqua quae digna sint de quibus ad interpretandum prodigium illud in condenda Carthagine factum hoc loco disseratur, ueluti de fluuiis taurino uultu insignibus, de Neptuno in arce Athenarum modo ecum modo fontem e terra tridente percussa eliciente (Seru. ad Verg. Georg. I 12. Vergil. Georg. IV 371) ex mythographorum libris quiuis poterit congerere. Ego quondam multa contuli quibus congestis et duos illos unde profectus sum locos aptius intellegam et uasculi picturam eius, quod Guilelmus Froehner Choix de vases grecs inédits Paris 1867 tab. VI proposuit depictum, ubi conspicitur caput feminae ornatum quod Amores duo circumuolant et Satyri duo nudi magnopere admirantur ligonibus armati. Statueram caput Nymphae descriptum esse, fodientibus Satyris quod apparuerit, eodem modo deam lympharum e terra caput attollere quo Orontes Antiochenus quoque apud Ouidium (metam. V 503) Arethusa de se narrat: *mihi peruia tellus Praebet iter subterque imas ablata cauernas Hic caput attollo desuetaque sidera cerno.* Sed interim in eandem interpretationem alia uia deductus est Carolus Robert quam in libro cui inscriptum est fabellae archaeologicae anno 1886 Berolini edito capite ultimo protulit uir doctissimus. Itaque cum acta agere nolim, et de illa uasculi pictura et de aliis id genus uasculis ad Roberti dissertationem lectorem relego.

Ne de etymologia quidem uocis κρήνη omnibus nota disputare in animo est, sed hoc addere iuuat, sicuti in eis quae supra tractaui monumentis et artis et litterarum capita effodiuntur et inueniuntur, ita in aliis capita defodi terraque obrui cum simili aut pari rei significatione. Danaides aquariae, puteorum patronae Lernaeorum (Strab. VIII p. 371) Aegypti fluuii filios trucidant: τὰς μὲν κεφαλὰς τῶν νυμφίων ἐν τῇ Λέρνῃ κατώρυξαν, τὰ δὲ σώματα πρὸ τῆς πόλεως ἐκήδευσαν (Apollod. II 1, 5, 11). Nimirum fonticulos ita indicari qui in palustri illa regione prorumpant dudum intellexere uiri docti. Danaidum illustrissima Amymone illa fuit fontis nympha omnium largissimi, iuxta quem hydrae Lernaeae latebras fuisse scriptores tradunt. Capita eius mortalia ferro et igni exstinxit Hercules, cum μυριόκρανον κύνα Λέρνας domaret: sed τὴν ἀθάνατον ἀποκόψας κατώρυξε καὶ βαρεῖαν ἐπέθηκε πέτραν (Apollodor. II 5, 2, 5). Quid fabulosa ista capitum decisione balbutiat antiquitas, nemo non intellegit: tu si illo loco quo Hercules caput hydrae immortale defodisse dicitur saxo reuoluto solum fodiendo perscrutari uoles, non dubito quin inuenturis sis κρήνης κρᾶτα τὸν ἀέναον.[1])

[1]) Quoniam et campi Argiui et fluuiorum tauriformium mentio iniecta est, contemplamini quaeso uetustissimam illam aut Inachi aut Erasini (conf. Aelian. u. h. II 33) imaginem tempore Homerico pictam, quae in

IV. Ingentem profecto fructum artis doctrinae percipimus multoque rectius litterarum monumenta et Graecarum et Romanarum interpretamur, si auctorum uultus aere uel marmore expressos etiamnunc contemplari licet: ueluti Lucretii poesin lugubrem et tristem multo opinor melius intellegeremus si faciem poetae morbo funesto uexati etiamnunc liceret adspicere, qualis fere illa est poetae cuiusdam ignoti, quem perperam quondam Senecam dixere, nunc alii alio nomine nominant. Notum est non solum poetarum historicorum oratorum, sed etiam grammaticorum imagines in scholis collocari esse solitas: quin etiam publice L. Orbilio grammatico statuam Beneuenti in Capitolio posuerunt (Sueton de gram. 9). Graecorum in arte grammatica celeberrimus post Aristarchum Aristarchi discipulus fuit Dionysius Thrax, ille qui circa annum a. Ch. 100 Rhodi docuit, quo tempore fere γραμματικὴν τεχνήν composuit primus: Romae iam circa annum a. Ch. 86 *artem* grammaticam compositam esse e scriptore ad Herennium discimus IV 12, 17 neque dubito quin Aelius Stilo grammaticus Aristarcheus Rhodo ubi anno a. Ch. 100 Numidici comes *legendo et audiendo magnos uiros auocabatur* (Liu. 69), Aristarchi doctrinam cuius notas adhibuit Romam introduxerit a Dionysio acceptam. Rhetor fuit Dionysius et grammaticus (conf. M. Schmidt philol. VII p. 36 ᐧ), quarum artium utraque et Rhodi et Romae saepenumero ab eodem praeceptore tradebatur (conf. Strabo XIV p. 650 Sueton. de gramm. 4): adiunxit his artibus et pingendi et caelandi scientiam: nam Nestoris poculum argento a discipulis collato ipse finxit (Athen. XI 489 A) et pinxisse traditur Aristarchi magistri imaginem, de qua pauca scriptor Etymologici Magni p. 277, 53 memoriae tradidit: ἐκεῖνος μέν inquit μαθητὴς ἦν Ἀριστάρχου ὃς καὶ τὸν ἑαυτοῦ διδάσκαλον ζωγραφήσας ἐν τῷ στήθει αὐτοῦ τὴν τραγῳδίαν ἐζωγράφησε διὰ τὸ ἀποστηθίζειν αὐτὸν πᾶσαν τὴν τραγῳδίαν (Schmidt l. s. p. 363). Pinxisse igitur traditur Dionysius Aristarchum ita, ut in pectore eius Tragoediae imaginem collocaret, quod totam tragoediam poterat ἀποστηθίζειν id est quasi *expectorare* siue memoriter pronuntiare uir doctissimus. Quaeritur utrum Aristarchum totum id est hominis staturam uniuersam delinearit, an faciem tantummodo cum pectore: sed hoc probabilius illo ideo, quod si in totius corporis effigie Tragoediae simulacrum in pectore ponitur, nonnihil mea quidem sententia ista doctrinae eximiae notula inepta esse uidetur tanquam res pusilla et minuta apposita: si in pectore protomae quae uocatur siue imaginis, multo magis in aperto posita et oculos et animos omnium torquet ad sese neque Dionysium putauerim Tragoediae figuram Aristarcho in pectore uestimentis operto posuisse, sed quo magis illud ἀποστηθίζειν indicaretur in nudo pectore neque Musae tragicae integram figuram in hac re regulis et sensui artificum uix aptam, sed rem satis clare demonstrare potuit persona tragica appicta. Sollemne uero mansisse Aristarchi simulacrum per saecula a Dionysio in illam formam constitutum, qua fuit auctoritate discipulus clarissimus apud posteros, me iudice statuendum est neque cum marmore aut aere uultum magistri exprimebant recessisse artifices crediderim ab archetypo manu Dionysii Thracis confecto. Summam denique inter pictorum plastarumque opera illis temporibus intercessisse affinitatem ex Pompeianis picturis hodie scimus omnes.

Iam uenit in mentem simulacri illius marmorei quod nunc seruatur in aedium Musei

---

regia Tirynthiorum fuit, ταῦρον et hercle ἄξιον ταῦρον, cui tamen non κυβιστητήρ insidet, sed δαίμων Satyro illi similis, quem Amenano insidere tauriformi fluuio uidemus in nummis Catinensium eadem plane forma praeditum: conf. I. Graesse, Handbuch der Numismatik, Leipzig 1852, tabula XVI 8 XXXV 2. Qui consensus summi erit momenti non solum ad artis historiam, sed etiam ad omnes religionum uitaeque condiciones et rationes quae inter Tirynthios et Siculos intercedebant recte intellegendas. Sed de huius tauri imagine, quem inepte circulatoris esse uulgo putant, alio loco agam: Aetnae urbis et Tirynthis affinitatem et communionem religionum Cyclopes indicant qui et hic et illic clari fuere.

Capitolini ordine quarta, signatum numero 76, delineatum in annalium instit. Rom. anni 1841 tab. G, quod Terentii poetae simulacrum esse arbitratus est editor Melchiorrius p. 102. Conspicitur et caput et pectus hominis nudum: facies barbara potius quam Graeca aut Romana, barba horrida et inculta neque tamen philosophorum modo promissa, sed breuis et paullulum detonsa ut uidetur; uultus non poetae neque philosophi, acuti tamen hominis et qui multum temporis ponat in cogitatione et meditatione. Denique quod est summi momenti, in dextera parte pectoris nudi larua tragica collocata est. Comicam eam dixit editor Romanus: tamen sese errare et ipse suspicatus est p. 101 et quilibet potest uidere, si quidem persona aperte ὄγκῳ tragico conspicitur insignita (Poll. IV 133). Imago inuenta esse fertur ista de qua agitur extra portam Capenam inter uiam Appiam et uiam Latinam in sepulcro quodam: in eodem loco inscriptiones duae effossae esse traduntur, altera Latina, Graeca altera, in quibus M. Ulpii Caritonis Traiani imperatoris l. memoriam celebrari Melchiorrius docet l. s. p. 99. Quae omnia num recte relata sint, alii uiderint: ceterum imaginem illam aeuo Traiani recentiorem non esse manifestum est, cum ex Helbigii lege propter formam imaginis eam quae protome uocatur Alexandri Magni saeculo antiquior esse certe non possit. Fortasse libertus ille Traiani a studiis fuit aut notarius, ut Aristarchi imaginem quasi patroni et magistri et dum uiueret coleret et mortuus. Dicat aliquis: Quidni etiam aliae imagines aut poetarum aut grammaticorum aut actorum praeter illam quam Dionysius fecit eodem signo tragoediae notari potuerunt? Fieri sane potuit: tamen hoc uelim consideres in eiusmodi minutiis rebusque pusillis artifices aliena inuenta minime sectari solere, ita ut plane eadem ratione atque alii excogitarint talia effingant aut alius alium in eiusmodi rebus exiguis imitetur. Accedit quod barba tonsa neglegenter egregie concinit cum habitus et cultus neglegentia, quam Callistratum in Aristarcho reprehendisse tradit epitomator Athenaei I p. 21 C. Postremo ut non contigerit imaginem illam Capitolinam probare esse Aristarchi, tamen Aristarchi imaginem qualis a Dionysio facta esse traditur iuuabit cum illa comparauisse.

V. De saturae Romanae origine adhuc sub iudice lis est: testis unus et exiguae fidei et seri temporis neque incorruptus Iohannes Lydus de mag. I 40 qui de comoediae septem generibus haec profiteatur: Ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτὰ — Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτικὴ — προσθήσω καὶ τοῦτο. Ῥίνθωνα καὶ Σκίραν καὶ Βλαῖσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητὰς καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν. ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Comoedia ista quae a Rhinthone heroicis uersibus conscripta esse dicitur minime ad scaenam pertinet sed carmen lasciuum et maledicum hoc nomine appellari apparet: neque enim quisquam unquam comoediam composuit heroicis uersibus et Plautum et Horatium temporibus illis comoedos uel comicos dictos esse testatur Isidorus orig. VIII 7, 6 *Comoedi appellati sunt siue a loco . . . Duo sunt autem genera comicorum, id est ueteres et noui. Veteres qui et ioco ridiculares exsistunt, ut Plautus Attius Terentius. Noui qui et satyrici, a quibus generaliter uitia carpuntur, ut Flaccus Persius Iuuenalis et alii.* Vides professorem quendam Byzantinum ad exemplum comoediae Graecae apud Latinos duas comoedias constituisse, alteram ueterem cuius poetas enumerauit tres sicuti Graeci fecerunt, nouam alteram satiricorum: horum uero triada a Suetonio aliis constitutam ita mutauit ut Lucilio eiecto Iuuenalem reciperet in ordinem. Praeceptorem Byzantinum id genus Lydus secutus est: nam quae de Rhinthone Lucilii auctore exposuit merae nugae sunt, si quidem non Rhintho primus ἡρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε sed Margitae auctor Pigres alii neque hexametris inde ab initio poesis suae saturas composuit Lucilius sed trochaeis et iambis. Comoediam ueterem Lucilium secutum esse multo rectius Horatius exposuit sat. I 4 neque statim

ab initio numeros pedesque mutauit, sed sensim et pedetemptim hexametros uersus ipse intellexit ad saturas scribendas esse aptiores: unde apparet Byzantini illa quae secuntur ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡγωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε esse peruersissima. Num ipse Lucilius comoediam ueterem saturarum suarum matrem aut nutricem dixerit, parum constat: liber XXVII certe parabasibus illis comicorum simillimus est, in quibus Aristophanes Archilochum est secutus, Lucilius imitari uidetur utrumque. Nam Archilochum libro XXVII et nominat et praeclaros illius uersus quadratos Θυμὲ θύμ' ἀμηχάνοισι tractauit uersibus 651. 656. 626. 655 L: noli nimis] *re in secunda tollere animos in mala demittere, ceterum quid sit quid non sit ferto aequo animo ac fortiter* animumque semper ita fere castigato: *paulo hoc melius quam mediocre, hoc minu' malum quam est pessimum* (καὶ μήτε νικῶν ἀμφάδην ἀγάλλεο Μήτε νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο· Ἀλλὰ χαρτοῖσίν τε χαῖρε καὶ κακοῖσιν ἀσχάλα Μὴ λίην frgm. 66 B) addit denique *Metuo ut fieri possit: ergo ob hoc* (ergo quo codd.) *ab Archilocho excido.* In eodem libro poesin suam δημωφελῆ dixit seseque pronuntiauit quasi ἀλεξίκακον τῆς χώρας τῆςδε καθαρτήν (Aristoph. Vesp. 1043) uersibus illis: *Rem populi salute et fictis uersibus Lucilius Quibu' potest impertit totumque hoc studiose et sedulo* 631 L. conf. Aristoph. Ran. 686 τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει Ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν. Palladas A. P. XI 291 τί ὠφέλησας τὴν πόλιν στίχους γράφων κτλ. Tum comicorum modo sese scelera prolaturum minatur u. 670 conf. Aristoph. Vesp. 1036 Hor. sat. I 4 1.

Itaque poeseos Lucilianae charactera Luciliique ἀφορμάς rectissime declarauit Horatius siue ipse sese Lucilius appellauit Aristophanis discipulum siue Horatius id suspicatus est; ineptit Lydus. Unde illam de Lucilio Rhinthonis aemulo fabulam hauserit nescimus: ueri simillimum mihi uidetur Lydum praeceptorum Byzantinorum qui satiricos interpretabantur aut scholas adiisse aut commentarios. Persii commento eum usum esse demonstrauit Franciscus Buecheler: conf. Christophori Stephani doctum de Pithoeanis in Iuuenalem scholiis libellum Bonnae 1882 editum p. 23. Etenim ea quae secuntur apud Lydum sermonem Latinum redolent: μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικοὺς οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν· Ὁράτιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν, Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρωνα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν. Τοῦρνος δὲ καὶ Ἰουβενάλιος καὶ Πετρώνιος αὐτόθεν ταῖς λοιδορίαις ἐπεξελθόντες τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας τε καὶ τραγῳδίας. Quod de Persio Sophronis imitatore tradit qui obscuritate Lycophronem antecedat nihil ad rem: illud consideres uelim, quod Iuuenalem dicit legem saturae laesisse, Horatium ultra legem non processisse: quod utrumque ex satiricis ipsis deductum esse arbitror. Nam et Horatius satura II 1: *Sunt quibus in satura uideor nimis acer et ultra Legem tendere opus* sese οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρεῖν euincere sibi uisus est et Iuuenalis VI 635 cum scripserit *Fingimus haec altum satura sumente cothurnum Scilicet et* finem egressi legemque priorum *Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu Montibus ignotum Rutulis caeloque Latino* aperte egit de satura sua leges priorum egressa.

Itaque Lydo maiorem fidem non habebimus quam Isidoro et Euanthio Byzantino, qui saturam *item genus comoediae* esse doceat (de trag. et com. in edit. Terent. Klotz. I p. XIII 23): et Donatus (l. s. p. XVII 31) et Euanthius et Lydus septem fere genera comoediae enumerant in quibus Rhinthonicam *ab auctoris nomine* ita uocatam, sed ita ut apud Donatum satirici nondum in comicis numerentur. Quod illo sane factum esse tempore apparet, quo grammatica Roma Constantinopolim concesserat neque Donato Romano dignun. est inuentum, sed Euanthiis et Byzantinis, quibus de uocabuli κωμῳδία significatione ancipiti ambigere liceret: qua de re conf. E. Rhode Der griechische Roman p. 351 adn. 1. C. Wachs-

muth sillograph. Graec. reliqu. p. 25. Et Isidori auctor (l. s.) et Euanthius parum uersati erant in litteris Latinis quippe qui Accium comicum fecerint l. s. p. XIV 34 et Lydus Latino auctore fortasse male intellecto pro Liuio Andronico Titinium supposuit, cum scriberet l. s. cap. 40: Τότε Τιτίνιος (τίνιος codex) ὁ Ῥωμαῖος κωμικὸς μῦθον ἐπεδείξατο ἐν τῇ Ῥώμῃ, id est fabulam Romae dedit, neque miratus sis quod et Rhinthonicae comoediae et satiricae Rhinthonem auctorem aut praeceptore aut auctore propter Latini sermonis ignorantiam male intellecto Graeculus perperam uindicarit.

VI. Litteras Graecas et Latinas illustrare artis monumentis adhibitis incredibile studiorum nostrorum habetur et emolumentum et decus. Multa nimirum nonnisi artificum operibus adscitis recte intellegi possunt, ueluti cur Tibullus II 1, 88 siderum chorum *lasciuum* dixerit, cur Propertius I 3, 5 puellam dormientem non solum cum Aridna dormiente, sed etiam cum Maenade comparauerit, quae ad ripam Apidani herbosam choreis fessa conciderit: poetam de pictura quadam cogitasse tum intelleges, cum picturam Pompeianam contemplatus eris in pinacotheca Neapoli quae servatur in archaeologorum libris nondum ni fallor publice expositam: tu Helbigii Campanorum πινάκων πίνακα adeas p. 127 n. 566. Conspicitur Maenas seminuda, cum tympano et thyrso ad fluuii ripam herbosam somno oppressa: ex alto descendere uidetur Bacchus sicuti in picturis in quibus Ariadna picta est: iacet illa *qualis Thesea iacuit cedente carina Languida desertis Gnosia litoribus . . . Nec minus assiduis Edonis fessa choreis Qualis in herboso concidit Apidano.* Troiam luna plena cum esset captam esse ab Argiuis non solum Iliadis paruae fragm. 11 K et Vergilii Aeneidis uersibus II 255. 340 traditum est, sed etiam in speculi Etrusci quod Aiacis Locri facinus ostendit pictura (IV 2 CCCXCIX p. 55 collectionis Gerhardianae) eadem apparet doctrina ab editore non intellecta. Theognidis carmina pictoribus uasculorum satis nota fuisse satis constat: cum legeris egregiam illam elegiam qua poeta puellam deteriori uiro se dolente nuptam ad lacum a se conueniri ὑδρεύουσαν narrat (261 B), uasculi picturae lepidissimae memineris, quae in eiusdem uiri doctissimi uoluminibus uascularum picturas continentibus selectas proposita est uol. IV tab. CCCIX. Itaque ad umbilicum huius libelli Iuuenalis uersus X 248. 249 uasculi pictura adiecta declarabo, qui de Nestore longaeuo: *Felix nimirum*, inquit, *qui tot per saecula mortem Distulit atque suos iam dextra computat annos.* Agitur de computatione digitis facta, qua de re commentarios reliquere Nicolaus Smyrnaeus (conf. Schneideri eclog. phys. I p. 477) et Beda Venerabilis de computo uel loquela digitorum uol. VI p. 141 edit. Giles. Lond. 1843, nostris temporibus doctissime omnium disputauit E. Roediger in actis annuariis societatis Orientalis Germanicae annorum 1845. 1846 p. 111, nuper, ut alios omittam permultos — ea enim gratissima legentibus dissertatio ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται — G. Froehner in dissertatione sua *le comput digital*, de qua relatum est in actis synodi philologorum XXXVII p. 191. Quare de loco Iuuenalis omnino ambigi non licet: numeros inde a primo usque ad centesimum laeua, dextra centenarios et millenarios effingebant eademque ratione utebantur non solum Graeci Romanique sed etiam Orientis populi, nisi quod hi ubi illi dextra sinistram, ubi sinistra utebantur dextram substituebant. In uasculo illo Musei Gregoriani quod Otto Iahn actis societ. reg. Saxon. 1867 (tab. III 3) p. 89 enarrauit ἐλαιοπώλης conspicitur sinistra rationem computans, similiter dextra ἀναπεμπάζει summam in anaglypho Aesernino ibidem 1861 tab. X 6 copo. Neque enim illa quam Iuuenalis tangit ratio et doctrina plebeculae erat sed arithmeticorum aut geometrarum et uulgus dextra utebatur et sinistra in computando nullo calulorum discrimine facto. Quod ut demonstrem, uasculi picturam uobis subieci, facti saeculo fere belli Peloponnesiaci Athenis et a mercatore Attico ad Clusinos fines deuecti. Aestate anni 1885 cum Christiano Huelseno meo Porsenae urbem uisere licuit: obtulit copo

quidam uasculi frustula misere fracta. Composui fragmenta, composita delineanda curaui adiuuantibus benigne Maximiliano Fraenkelio Gustauo Koertio, qui qua est humanitate et auxiliis et consiliis suis me ex quo hanc urbem intraui prosecutus est saluberrimis. Est patera, alta cm. 7, diametros cm. 19, rubro colore picta: lineae nigro colore non penicillo, sed calamo fisso ductae sunt atramento modo delitescente ita ut duae lineolae compareant modo abundante, praeter coronam capiti appictam: delineatio pictura ipsa tribus partibus minor est. Sedet uir barbatus in scabello cui puluillus impositus est, pectore nudo, parte corporis inferiore pallio inuoluta, coronatus: sinistra uuam tenet magni ponderis, dextrae paululum sublatae digitos studiose contemplatur. Adstat fiscina ansata, uuis completa, quarum tres apparent, reliquae latent absconditae. Vuas inesse me docuit Adolphus Furtwaengler: quid dextra faceret intellexi cum digitis illius computantis, quem Eubuliden finxisse Plinius auctor est XXXIV 88 in mentem ueniret. Iam uidete, quomodo oculis intentis ecquid pateat lucelli *Déxtera digitis rationem cómputat.* ut Plauti uersu utar Mil. glor. II 2, 49, semiapertis labiis murmurans cum numeros tum illud ὦ Ζεῦ πάτερ αἴθε πλούσιος γενοίμαν.

Haec habui quae uobis proponerem, commilitones, ad edocendum parum, ad impellendum opinor satis. Vos interim recreate corpora animosque uestros feriis eis quae instant: quibus peractis ad ea quae uobis proposuimus studia litterarum et artium denuo accingimini. Valete.

Scribebam Kal. Iuliis anni MDCCCLXXXVIII.



INDEX LECTIONUM

In ordine theologico

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies h. IX; 2) privatim historiam dogmatum quinquies h. X docebit.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim vitam et doctrinam apostolorum explicabit quinquies p. h. h. XII—I; 2) priv. theologiae dogmaticae partem alteram docebit quinquies p. h. h. XI—XII.

Dr. Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim Pauli epistolam ad Romanos quinquies p. h. h. IX—X interpretabitur; 2) privatim evangelii Lucae exegesin quinis p. h. scholis h. VIII—IX dedet et cum evangeliis Matthaei et Marci comparabit.

Dr. Ioannes Fridericus Hashagen, P. P. O., 1) privatim catecheticen docebit quaternis p. h. scholis die Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora V—VI; 2) privatim Pericopas quae dicuntur evangeliorum practice explicabit ternis p. h. scholis horis defin.; 3) publice in Seminario exercitationes homileticas et catecheticas moderabitur quaternis p. h. scholis, die Lunae VI—VIII d. Saturni h. XI—I.

Praelectiones, quae de Vetere Testamento per semestre hibernum habendae sunt paulo post annuntiabuntur.

In ordine iuridico

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., 1) pandectarum primam partem (regulos generales et iura in re) tractabit octonis p. h. h.; 2) conversatorium instituet de pandectarum tertia parte (iure hereditario) ternis p. h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii h. XII—I.

Dr. Bernhardus Matthiass, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones iuris Romani explicabit quaternis p. h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. XI—XII; 2) historiam iuris Romani docebit quaternis p. h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. X—XI; 3) conversatorium instituet de pandectarum secunda parte (de iure obligationum) ternis p. h. scholis die Iovis, Veneris h. XII—I, die Saturni h. IX—X.

Dr. Hugo Sachsse, P. P. O., 1) ius ecclesiasticum docebit quinis p. hebd. scholis diebus Martis et Iovis h. V—VII, die Veneris h. V—VI; 2) theoriam processus criminalis tractabit quinis p. hebd. scholis die Lunae h. IV—VI diebus Martis, Iovis, Veneris h. IV—V; 3) introductionem in Corpus Iuris Canonici enarrabit et selecta capita explicanda proponet studiosis iuris et theologiae singulis p. hebd. scholis h. c.

Dr. Carolus Lehmann, P. P. O., 1) privatim ius privatum Germanicum addito iure feudali Megalopolitano docebit senis p. hebd. scholis cottidie h. X—XI; 2) privatim conversatorium instituet de iure commerciali cambiali maritimo ternis p. hebd. scholis die Martis, Iovis, Veneris h. XI—XII; 3) publice de codice iuris civilis germanici proposito disseret singulis p. hebd. scholis d. Saturni h. XI—XII.

Dr. Fridericus Oetker, P. P. O., 1) theoriam processus civilis tractabit senis p. h. scholis h. IX—X; 2) conversatorium de processu civili una cum exercitationibus practicis instituet ternis p. h. scholis die Mercurii h. V—VII, die Veneris h. III—IV.

In ordine medico

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., Academiae Senior, 1) publice pathologiam et therapiam ventriculi docebit die Lunae h. VI; 2) de aegrotis policlinices disseret die Mercurii h. X et dim.; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X et dim.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) introductionem in chemiam agrariam bis p. h. tradet; 2) practicum agrario-chemico-physiologicum quater p. h. reget.

Dr. Fridericus Marx, P. P. E., 1) Homeri Odyssiae librum VI interpretabitur quaternis diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hora V—VI; 2) Lucretii librum V interpretabitur diebus Martis et Veneris hora VI—VII; 3) seminarii philologici disputationes moderabitur et sodalibus librum de republica Atheniensium proponet tractandum die Lunae hora VI—VIII.

Dr. Iulius Robert, 1) quater per hebdomadem de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) historiam litterarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) de variationibus linguae gallicae a saeculo XII factis disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) capita selecta grammaticae Franco-Gallicae enarrabit bis p. h. horis definiendis; 2) exercitationes linguae Anglicae medii aevi moderabitur semel p. h. hora definienda.

Dr. Fridericus Oltmanns, 1) de Bacteriaceis disseret bis p. h. horis definiendis; 2) exercitationes microscopicas de plantis cryptogamis instituet ter p. h. horis definiendis.

Dr. Paulus Moennich, de potentiali vis electricae disseret bis p. h. diebus Martis et Veneris.

Dr. Ludovicus Will, disseret 1) de historia evolutionis evertebratorum quater p. h. hora postea constituenda; 2) de osteologia evertebratorum bis p. h. hora postea constituenda.

Dr. Albertus Töhl, 1) chemiam analyticam bis p. h. docebit; 2) repetitorium chemicum ter p. h. instituet.

Dr. Albertus Thierfelder, 1) de hymnologia publice semel p. h. disseret; 2) seminarii homiletici catechetici participes cantiones docebit liturgicas in sacro nostro ritu usitatas; 3) exercitationes reget cantorum societatis academicae.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum cottidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cottidie h. XI—XII, zoologicum item cottidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Hermannus Rudolphus Aubert.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Guilelmus Dieckhoff,** Th. Dr.
Iurisconsultorum **Bernardus Matthiass,** I. U. Dr.
Medicorum **Guilelmus de Zehender,** M. Dr.
Philosophorum **Guilelmus Stieda,** Ph. Dr.
